CARMEN DE INCARNATIONE ET MIRANDA VNIONE DVARVM NATVRARVM DIVINAE & Humanæ in Chriſto, ſcriptum in ferijs natalitijs Domini ac Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, annum LXXV. incoantibus

A

SIMONE GRONENBERGIO
FREIVVALDENSI POMERANO.

VVITEBERGAE.
Excudebat Petrus Seitz.
ANNO M.D.LXXV.

NOBILISSIMIS SPECTATISSIMISQVE VIRIS, VIRTVTE, ERVDITIONE ET PRVDENTIA PRAESTANTIbus Dominis, Martino, Magno, Dionysio, Sigismundo, Alexandro, Danieli, Godefrido & Ottoni fratribus & agnatis à VVedel, Frienuualdiæ, Vchtenhagij & Melnæ residentibus, Dominis ac Patronis suis perpetua fide & debita obseruantia colendissimis

S. D.

Singulari & grauissimo Dei consilio, nobilißimi spectatißimiq; uiri ac Patroni, in politia Iudaica certis anni temporibus certa festa ideò instituta fuisse non est dubium, ut uidelicet in nobis meditationes & sermones de maximis & amplißimis rebus accendantur, & animi nostri ad piam, ardentem & seriam earum rerum, quæ illis temporibus in populo Dei gestæ sunt, considerationem deducantur. Nam & clementißimus Deus certa anni spacia peculiaribus miraculis & historijs insigniuit, ut quotannis ea nos commonefacerent & exuscitarent ad ardentiorem & accuratiorem meditationem de doctrina cœlesti, de patefactionibus Dei, de mirando opere redemtionis & reparatæ salutis æternæ, de incarnatione, paßione & resurrectione Christi filij Dei, de præsentia eius in Ecclesia, de mirabili collectione & defensione ecclesiæ, alijsq; beneficijs Dei infinitis. Ad hunc quoq; finem sanciti erant olim dies festi, peculiaribus ceremonijs & ritibus sacrificiorum distincti, ut diuersitate illa rituum ostenderetur & quasi ob oculos pingeretur rerum maximarum & patefactionum diuinarum consideratio, & simul homines in Ecclesia ad gratiarum actionem, Deo pro immensis beneficijs toti generi humano præstitis debitam, inuitarentur. Hinc commonefactio hæc in Mose toties repetitur: Narrabis hæc filijs tuis: hoc die Dominus mihi fecit hoc & hoc: & sit quasi signum in manu tua, & monumentum in oculis tuis, ut lex mea semper sit in ore tuo.

Cum uero in Ecclesia noui Testamenti à filio Dei tanquam primordio salutis nostræ initium noui anni auspicemur, meritò etiam & piè, circa ca-

lendas Ianuarij recolimus memoriã admirandi fœderis illius, quo ſecunda perſona Diuinitatis, filius Dei, λόγος ὑφιστάμενος καὶ εἰκὼν ὁμοούσιος ἀϊδίου πατρὸς aſſumſit humanam carnem ex ſubſtantia Mariæ ſemperuirginis, arcano diuinitatis conſilio, ut nos à maledictione legis, ira Dei & æterna damnatione ſufficienti λύτρῳ redimeret.

Vt igitur meipſum cum tota Eccleſia ad huius tanti operis piam, ſeriam & ſobriam meditationem hiſce diebus exuſcitarem, tantum ſucceßiui temporis mihi ſumpſi, quo materiam de Incarnatione τοῦ λόγου pro ingenij mei tenuitate uerſibus illigarem, Qui quo loco habendi ſint, non anxiè laboro: à me profectò ſimplici & minimè ambitioſo animo conſcripti ſunt. Hac etenim admiranda Chriſti filij Dei incarnatione, quæ propter nos homines & noſtram ſalutem facta eſt, cum nulla res uel in cœlo uel in terra ſit admirabilior, adeo etiam ipſi mouentur Angeli, ut præ nimio gaudio & uera lætitia exultent, & dulciſsimo concentu Muſico Deum glorificent ac celebrent canentes : Gloria in excelſis Deo. Hoc igitur cum faciant Angeli, puriſsimæ & ſpirituales naturæ, multò magis nos miſerrimi homines hoc tam ingens & miraculoſum opus diuinum admiremur, agnoſcamus, pijsq; carminibus celebremus, cum hæc copulatio duarum naturarum in Chriſto non propter Angelos ſed propter nos homines facta ſit. Non enim Angelicam ſed fragilem hominum maſſam aſſumſit, eamq; indiſſolubiliter ſibi inæternum copulauit. De hac copulatione Aggæus Propheta his uerbis uaticinatur : Adhuc modicum eſt, & ego mouebo cœlum, & mouebo terram, & ueniet deſideratus cunctis gentibus, hoc eſt, excitabo ingens miraculum in cœlo, dum fit in arcano conſilio diuinitatis decretum de mittendo filio ad reparandum genus humanum, Ac mouebitur terra, cum præter rerum ſeriem uirgo parit & profert hoc deſiderabile germen Dauidis, quod eſt Immanuel & Iehoua iuſticia noſtra. Quod quidem germen licet in Cygnea cantione Gen. 49 Iacob moriturus nominet uoce Siloh, quæ ſecundinam ſignificat: tamen uerè illud ſemen eſt, de quo Gen. 3. ſcriptum eſt, quod attriuit & conculcauit caput ſerpentis. Nam Siloh nominatur græcè χόριον, latinis ſecundæ, uulgo ſecundina, Quæ pelliculam ſeu inuolucrum in utero mulieris, quo fœtus munitur & circumdatur in aluo materna, ſignificat. Hoc inuolucrum etſi eſt ſqualidum, fragile & aſpectu horridum : tamen filius Dei ex Maria uirgine natus & uictima pro peccatis totius generis humani factus, non aſpernatur ſe hac miſera membrana inuolui & nominari Siloh, Id eſt, fœtum ſecundinæ ſeu fœtum uirginis, Fitq; ipſe χόριον ſeu ſecundina noſtræ maſſæ, ut nos ſqualida & immunda χόρια, ipſe quoq; χόριον, ſed mundum & abſq; peccato, ſineq; ui-

rili

rili semine natum, abluat, purget, detergat & mundificet. O admirandam & ineffabilem humilitatem filij, qui cum esset in forma Dei, ut inquit Paulus, adeò sese exinaniuit, ut indueret formam serui & fieret caro de carne nostra, & os de oßibus nostris. O ingentem & inexhaustum amorem æterni patris, qui nos æternæ mortis & damnationis reos ita dilexit, ut unigenitum suum filium tantis sordibus & miserijs subiectum in hoc seculo nasci uoluerit, quò nos sordidos ablueret, lapsos erigeret & damnatos æternæ saluti restitueret. Sed ô stuporem & securitatem maximæ partis hominum, qui de tantis rebus, quarum equidem magnitudinem nullius uel Angeli uel hominis uox eloqui potest, non solum nihil cogitant, uerum etiam impiè eas contemnunt & superbè negligunt.

Etsi uero in hac mentis nostræ caligine huius mirandæ duarum naturarum unionis causas non assequimur: tamen interea præcipuè hoc festo de hisce grauißimis rebus uelut infantes & lactentes balbutire nos Deus requirit, & aliquas causas habere in conspectu utile est, donec in altera uita, in cœlesti illa Academia, perfectam & absolutam huius operis enarrationem à summo Doctore & Magistro Domino nostro Iesu Christo audiamus.

Agamus autem ueris gemitibus & ardentibus uotis gratias æterno ac cœlesti patri, qui hoc ineffabile temperamentum iusticiæ & misericordiæ suæ fecit, ut filius pro peccatis nostris & totius generis humani fieret λύτρον καὶ ἀντάλλαγμα. Agamus etiam toto pectore gratias ipsi filio, qui assumta nostra carne pretium pro nobis persoluit atq; hoc modo iustißimam iram æterni patris, placatam reddidit, & in sanguine Testamenti sui uinctos suos de lacu, in quo non erat aqua, emisit.

Vobis autem nobilißimi ac spectatißimi uiri hoc qualecunq; carmen exhibeo, Primum ut aliquam gratæ mentis significationem erga dulcißimam patriam meam, in qua puer huius studij initia didici, & quæ uobis gaudet Curatoribus atq; Patronis dignißimis, hac publica testificatione ostenderem. Deinde ut eximiam Præstantiæ uestræ humanitatem & beneuolentiam, qua studia, uitam & commoda mea, meorumq; complectimini, quod quidem multis argumentis, eo in loco cùm essem, animaduerti, mihi magis deuincirem. Hæ causæ cum honestæ sint, non dubito, me facile impetraturum, quò exilis huius scripti mei, tenui quidem Minerua compositi, patrocinium & defensionem contra inuidorum & Sycophantarum uiolentos morsus, quibus nihil acerbius, æquis animis suscipiatis, Quodq; ut benignè faciatis & candidè de hoc instituto meo iudicetis, studiaq; mea & commoda, etiam imposterum uobis commendata habeatis, ea qua possum animi submißione & reuerentia oro. In quo, si uos,

ſi uos, ut omnino ſpero & perſuaſum habeo, beneuolentiores & æquiores fore cognouero, me ad maiorem induſtriam & diligentiam in hoc ſtudiorum genere facilè excitabitis.

Poſtremo filium Dei crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, uerum Emanuelem, qui eſt ſapientia æterni patris, magni conſilij Angelus, fons omnis boni & ordinis, ardentibus uotis oro, ut inter has fæces ultimæ & ſqualidæ ſenectæ mundi, reliquias Eccleſiæ ſuæ undiq; diſperſas clementer colligat, nos in ea protegat, ueram & incorruptam de filio Dei Domino & redemtore noſtro Ieſu Chriſto doctrinam cuſtodiat & uindicet, animos noſtros ad uirtutis amorem & ueram pietatem flectat, præclaras domos ueſtras præſidio ſanctorum Angelorum muniat & defendat, actiones omnes & conſilia ueſtra regat & gubernet, ut ſint Eccleſiæ ſuæ & toti Reipublicæ ueſtræ ſalutaria & æterno ac magno nomini ſuo glorioſa. Ἀμήν. Benè & feliciter ualete. Vitebergæ, ipſis natalitijs filij Dei, incoantibus annum 1575: qui eſt ab initio mundi 5537 annus, Quem ut fauſtum & felicem uobis omnibus & ſingulis, nobiliſsimis coniugibus, matribus & liberis ueſtris, toti Eccleſiæ ac Reipublicæ tribuat Chriſtus filius Dei uerus Emanuel noſter, toto eum pectore precor.

P. V.

Debita ſubiectione
Addictiß.
Simon Gronenbergius Frienuualdenſis Pom.

CARMEN DE INCARNATIONE DOMINI AC SERVATORIS nostri Iesu Christi.

Læta salutiferi redeunt solennia Christi
Quæ lætis iterum sunt celebranda modis.
Annuus & solitos Christi natalis honores
Mentibus & nostris gaudia uiua refert,
Hæc est illa dies fragilis qua carnis in umbra
Nascitur ex pura virgine CHRISTVS Homo.
O nimium felix, meritò & laudanda per æuum,
Hac quia luce salus nostra renata redit.
Qua coluber primos truculenta fraude parentes
Exuit, & stygios fecit adire lacus.
Sed tu Phœbe meis vates sacer annue cœptis
Vt facile insuetum te duce fiat iter:
Vt mea supremo placeant hæc carmina CHRISTO
Ipsius ac laudes nostra Thalia sonet.
Ergo mihi causas memora cur Filius vltrò
Extremæ voluit sortis habere locum.
Principiò immensum terræ fabricauerat orbem
Conditor omnipotens stelliferumq; Polum.
Veliuolumq; sua pontum virtute crearat,
Concludens certis æquora limitibus.
Terreni hinc hominis formauit nobile plasma,
Esset vt ipsius dulcis imago Dei.

Hunc

Huic dedit imperium vastæ per climata terræ
Iussit & vndisoni sceptra tenere maris.
Frugiferisq́ illum Paradisi præficit hortis.
Læta vbi perpetui tempora veris erant.
Illic delitias & pleno munere fructus,
Fundebat tellus luxuriante sinu.
Vna sed in medio Paradisi fertilis arbos
Ad cœlum stabat poma notanda ferens.
Hæc illos lacero prohibet diuellere morsu
Ne sibi supplicij tristia damna parent,
Hoc vbi cognouit serpens, mox lethifer illis
Talia fallaci pectore verba refert:
Quæ mora vos trepidos prohibet contingere fructus,
Quidue Dijs similes vos fore quæso vetat?
Tanta ferent vobis pomorum commoda morsus,
Vt nihil hoc gustu suauius esse queat.
Corporis & vires & sensus roborat omnes
Et prorsus similes vos facit esse DEO.
Ergo alacres potius pomi decerpite fructus,
Non res æterna est persoluenda nece.
Non ego testor, ait, Deus est tam sæuus in ira,
Vt vos æterno destinet exitio.
Talibus astutus Serpens sermonibus vsus,
Nil nisi qui tecto corde venena fouet,
Fecit eos vesci vetiti de germine ligni,
Dum summi temnunt iussa verenda DEI.
Ast esum sequitur strages miseranda, malorum
Principium, abiectæ fons & origo viæ.

Ipsius

Ipſius effecti conſortes, linquere prata
  Coguntur rigui dum benè culta ſoli.
Sic miſeri æternæ pelluntur ſede quietis:
  Sic homini miſeram poma dedere necem.
Tot mala peruerſo iuſſu Cacodæmonis EVA
  Humano generi fœmina prima dedit.
His ſuper omnipotens tantam conceſsit in iram,
  Illius vt cauſas tollere nemo queat.
Ipſius at natus caſum miſeratus iniquum,
  Mortales pœnas ſuppliciumq; ſubit.
Deſcenditq; volens ſummo de vertice cœli,
  Ingrediens caſtos Virginis ipſe ſinus.
Debita pro mundi quò ſoluat crimine λύτρα,
  Oſſibus ex noſtris os fit & vna caro.
Quod fuit id manſit, quod non, ſine crimine factus,
  Permanet & nunc eſt verus HOMOq; DEVS.
Tantæ molis erat leges violaſſe ſupremi
  Numinis, & pœnas non timuiſſe Dei,
Iamq; dies aderat peragrato temporis orbe,
  Vt maſſam humanam filius indueret.
Victima & abiecti fieret pro crimine mundi,
  Et durum tetræ ferret agona necis.
Ante ſed excelſi veniens à limine cœli
  Angelus ad Mariam talia verba refert:
Salue virgo Dei ſobolem paritura tonantis,
  Pectora quæ ſummi plena fauoris habes.
Et meritò felix per ſecula cuncta vocaris,
  Poſteritas lætam te quoq; læta canet.

His ſuper obſtupuit dictis caſtiſsima virgo,
Admiraris miſsi nuncia verba DEI.
Depoſita tandem contrà formidinē fatur,
Mollia depromens pectore verba pio:
Farę mihi qua nam fiet ratione quod inquis,
Cum non ſim cuiquam fœmina iuncta viro.
Angelus hæc contrà, virgo caſtiſsima, fatur,
Erigere, & trepido pectore ſolue metus.
Nam tua crede mihi, quamuis mirabile dictu,
Viſcera concipient Pneumate plena DEI.
Ac ſanctam paries ſobolem ſub luminis auras,
Conueniens cuius nomen IESVS erit.
Hæc erit æterni proles æterna parentis,
Viuaq; cœleſti Patris imago ſui.
Atq; reget totum patrijs virtutibus Orbem,
Et dabit in populo ſigna ſtupenda ſuo.
Progeniem Iacob pariterq; in regna vocabit,
Et rex æternæ poſteritatis erit.
Hæc noua progenies referet lætiſsima regna,
Sub quibus æternæ fœdera pacis erunt.
Cuius maieſtas æterna in ſecula durat,
Ignorans finem, principioq; carens.
Hæc referens ſubitò vacuas ſe tollit in auras,
Aſtrigeri repetens Angelus arua poli.
Aſt hæc alma parens alta benè mente reponit,
Quæ iuuenis fido pectore fatus erat.
Interea grauidam vidit grandæuus Ioſeph
Et Mariam tectè deſeruiſſe ſtudet.

Talia

Talia dum ſecum turbata mente volutat,
Membraq; defeſsi iam ſopor altus habet.
Nuncius ecce DEI veniens ſub tempore ſomni,
Ioſepho dicit talia verba ſeni:
Quid dubitas Mariam ſocio tibi fœdere iunctam
Linquere? ſit quæſo, ſit procul iſte metus.
Nam pia concepit ſancto quem Pneumate fœtum,
Hoc iam ſub caſto pectore geſtat onus:
Et pariet Natum, nomenq; vocabis IESVM,
Mundi qui tollet crimina fœda vagi.
Sic etenim vera prædixit voce Propheta,
Iſta ſub ipſius voce loquente DEO:
En natum Virgo pariet patris innuba ſummi,
Cui nomen felix IMMANVELIS erit.
Hinc ſomno excuſſus Ioſeph exurgit, & imo
Pectore perpendit ſomnia noctis atræ.
Et Mariam iunctam ſociali fœdere nunquam
Deſerit, obſeruans iuſſa verenda DEI.
Scribitur interea totum cenſura per Orbem,
Dum regni Auguſtus ſceptra ſuperba gerit.
Et præſes Syriæ rexit Cyrenius oram,
Vt daret in propria nomina quiſq; tribu.
Hinc curſu celeri populus tendebat ad vrbes,
Et dare præſidibus nomina promtus erat.
Hos inter grandæuus erat iuſtiſsimus vnus
Ioſephus, Maria ponè ſequente virum.
Coniuge cumq; ſua Bethlem tendebat ad vrbem,
Dauidis quoniam ſanguine natus erat.

Iamq; iter emensi turres & mœnia Bethlæ
Cernebant fessi, Virgo senexq; simul.
Et nunc intrantes angustæ mœnia portæ,
Dum vesper claudit Sole cadentę diem.
Exiguum tenui congestum culmine tectum,
Cui paries lacero vimine textus erat.
Huic hospes quoniam stabulum de more vetusto
Iunxerat, armentis esset vt apta domus.
Talia dumq; vident, senior magalia Ioseph
Parua subit, supplex hospitiumq; petit.
Hòspes ait contrà, lecti sibi mollia strata
Deficere, vt somno membra leuare queãt.
Hic tibi si lubitum est poteris requiescere nocte,
Et dare gramineo languida membra toro.
Hinc asinũ pariter ligat ad præsepia segnem,
Substernens pecori pabula læta suo.
Posthæc componit placidæ sua membra quieti,
Et fœno & stipula corpus inerme tegit.
Inuehitur medium interea nox atra per Orbem,
Et rebus cunctis iam color vnus erat,
Dumq; vigil primos Gallus sub culmine cantus
Alarum strepitu iam modulatus erat:
En fœtum virgo claras sub luminis auras,
Producit summi pignora cara DEI.
Et natum pannis inuoluit protinus arctis,
In gremio natum Virgo pudica fouens.
Interea Ioseph proflabat pectore somnum,
Molliter in fœno membra sopore leuans.

Sæpius

Sæpius huic collo Mater dat brachia circum,
Infanti libans oscula multa suo.
Arida sollicitè sternit tùm gramina circum,
Lædere nè frigus membra tenella queat.
Bos asinusq; piger iuxta præsepia stantes,
Cognoscunt prolem virginis esse sacram.
Propterea tentant tenerum defendere corpus,
Arcentes flatu frigora dira suo.
Pastores simul excubias regionibus istis
Seruabant vigiles nocte silente gregis.
Interea missus summo de vertice cœli,
Infert se medijs Angelus ecce viris.
Lucentiq; DEVS Pastores lumine vestit,
Qui demirantes obstupuere metu.
Et sic ad trepidos medio stans agmine fatur,
Depromens animo talia dicta suo:
Soluite corde metus, tristes deponite curas.
Pastores, vobis nuncia læta fero.
Nec populo dubito toti quin grata futura
Sint ea, quæ vestri fecit amore DEVS.
Nàm CHRISTVS vobis hac nocte salutifer Orbis,
Sub tecto VERVS paupere natus HOMO est.
Ite citi vigiles Pastores, ite repente,
Alternè Regi munera ferte nouo.
Sic ait: Angelicis resilit concentibus æther,
Aurea pax homini: gloria sitq; DEO.
Iamq; ascendebant obscura nocte per vmbras
Pastores, Regis regna videre noui.

Pauperis & subitò conscendunt Hospitis antra,
Inq; sinu matris pignora sancta vident.
Et terram subitò submisso poplite prænsant,
Promentes manicis munera parua suis.
Tum iactant læti gratas ad sidera voces,
Nec satis infantem turba videre potest.
Has postquam voces audit, de gramine strato
Consurgit Ioseph acceleratq; simul.
Perspicit en teneris prolem circa vbera matris
Lactentem labris duriter ante pecus.
Assistens puero lacrymis hæc fatur abortis:
Venisti tandem sæpe petite Puer.
Te dudum sancti iam prædixêre Prophetæ,
Venturum misera conditione DEVM.
Hostia pro mundi fias vt crimine tetro
Vnica, quæ patrem conciliare queat.
Et mundes nostras sordes, tùm vulnera sanes,
Quæ morsu lacero fecerat ille Draco.
Et genus Israel æterna in regna reponas,
Ac Pastor reuoces quas agit error oues.
Nec de te nostros animos spes fixa fefellit,
Vnica qui nostræ porta salutis eras.
Quem nam te memorem, quænam præconia laudis
Soluam pro iusta tam bonitate tibi?
Aurea quod summi cœli conuexa relinquis,
Pro nobis soluens debita λύτρα DEO.
Sic dixit: lacrymans Puerum complectitur vlnis,
Et fouet amplexu molliter ipse suo.

Oscula

Oſcula nunc tenero figit, mox brachia collo
Applicat, inq; ſuo gaudet habere ſinu.
Sæpius & canum caput ad cunabula flectit,
Admirans vultus oraq; pulcra DEI.
Ergo tibi meritas non ficto pectore grates
Dicimus, ô ſummi gloria CHRISTE patris,
Pro ſumma bonitate tua & virtute perenni,
Qua miſeris ſemper fautor adeſſe ſoles.
Quod dedignatus non es veſtire figura
Te noſtra, & miſera conditione frui.
Vt nos crudeli redimas miſeratus ab hoſte,
Et forti frangas ipſius arma manu.
Turpia quò purges totius crimina mundi,
Placatos reddens nos tua membra DEO.
Mitte tui vultus radios in pectora noſtra,
Vt flagrent ſancto ſemper amore tui.
Et tua laus per nos creſcat, tua nomina latè
Noſtra ſalutifero carmine Muſa canat.

FINIS.

μόνῳ τῷ θεῷ δόξα.

